

Medicina A

Novit medicus quid salutiferum, quidve contrarium petat egrotus. Egroti estis, nolite ergo medico dictare, que vobis medicamina velit apponere.

Augustinus in quodam sermone.

Medicina B

Contraria divine conditioni precepta medicine sunt, a ieiunio revocant, lugubrare non sinunt, ab omni intencione meditacionis abducunt itaque qui se medicis dederit, seipsum sibi abnegat.

Ambrosius super Psalmum 130.

Medicina C

Omnis medicina habet ad tempus amaritudinem, sed postea fructus doloris sanitate monstratur.

Hieronymus super Hieremiam libro 2.

Medicina D

Improbis et imperitus est medicus qui alienum mederi appetit et ipse vulnus quod paciatur nescit.

Gregorius in pastoralis.

Medicina E

Moris medicinalis est, ut sepe fervorem viscerum in pruriginem cutis trahat, et plerumque inde interius curat unde exterius sauciat. Ita non numquam divine dispensacionis medicamine agitur ut exterioribus doloribus internum vulnus adimatur.

Ibidem.

Medicina F

Delicata nimis medicina est, prius alligari quam vulnerari, membrum non percussum plangere et nondum suscepto ictu admovere, manum fovere unguento ubi non dolet, emplastrum adhibere ubi scissura non est.

Bernardus in apologetico.

Medicina G

Ego plagis consciencie mee malum iudico accommodacius medicamentum probris et contumeliis.

Bernardus in epistola.

Medicina H

O sapiencia! Quanta arte medendi in vino et oleo anime mee sanitatem restauras fortiter suavis et suaviter fortis, fortis pro me et suavis michi.

Bernardus super Cantica.

Medicina I

Unde irrepsit morbus, inde remedium intret et per eadem sequatur vestigia, vita mortem, tenebras lux, venenum serpentis antidotum veritatis, et sanat oculum qui turbatus est ut serenus videat quem turbatus non potest, auris prima mortis ianua prima aperiatur et vite.

Bernardus super Cantica.

Medicina K

Spirituali medico spiritualem offerebat mercedem, nam omnes medici pecuniis iste autem solus oracione placatur.

Chrysostomus super illud Matthei 8: Ostende te sacerdoti et offer munus et cetera.

Medicina L

Nomen medicine a modo ac temperamento impositum existimatur ut non satis sed paulatim adhibeatur, nam in multo contristatur natura mediocriter autem gaudet. Unde et qui pigmenta et antidota assidue biberint vexantur, immoderatio enim omnis non salutem sed periculum affert.

Isidorus libro 4. ethimologia.

Medicina M

Commune quidem medicorum vicium est semper cura egritudines variare. Unde si tres aut quattuor ad infirmum veniunt, numquam in assignacione cause vel exhibicione cure conveniunt.

Petrus Blesensis in quadam epistola.

Medicina N

Frequenter si quid ex aptitudine medici graciosa et ex quadam confidentia quam egrotus inde concipit, natura iam deficiens convalescit.

Bernardus ibidem.

Medicina O

Medicorum consilia devota qui parum docti et satis seduli officiosissime multos occidunt.

Seneca in epistolis.

Medicina P

Quidam non nisi a presente moventur, non potest medicus per epulas cibi aut balnei tempus eligere. Vena tangenda est. Vetus proverbium est gladiatore enim in arena capere consilium aliquid adversarium vultus, aliquid manus mota, aliquid ipsa inclinatio corporis intuentem movet.

Seneca 22. epistola.

Medicina Q

Crudelem medicum intemperancia facit, male secum ait eger, qui medicum heredem facit.

Seneca in proverbiiis.